

CCCLI.

Ad Thomam Cantuariensem archiepiscopum. — Eum angustiis pressum consolatur.

(Apud Clarummontem? Jun.)

[*Ibid.*, p. 6.]

ALEXANDER papa THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo.

Quoniam dies mali sunt, et multa sunt pro qualitate temporis toleranda, discretionem tuam rogamus, monemus, consulimus et suademus, ut in omnibus tuis et Ecclesiæ negotiis agendis te cautum, providum et circumspectum exhibeas, et nihil prope vel præcipitanter, sed mature et graviter faciens, ad gratiam et benevolentiam illustris regis Anglorum recuperandam, quantum salva libertate Ecclesiæ, et honestate officii tui fieri poterit, enitaris modis omnibus et labores. Et usque ad proximum pascha eundem regem sustinas, ita quod nihil in eum vel terram ipsius usque ad præscriptum studeas exercere. Tunc enim Dominus dabit tempora meliora, et tam tu quam nos tutius poterimus in facto ipso procedere.

CCCLII.

Ad eundem. — Sententiam ab episcopis et baronibus Angliæ contra ipsum latam se irritam fecisse mandat.

(Ap. Clarummontem? Jun.)

[*Ibid.*, p. 7.]

ALEXANDER papa THOMÆ, Cantuariensi archiepiscopo.

Quod minor majorem judicare non possit, et cum præsertim cui jure noscitur prælationis subesse, et obedientiæ vinculo tenetur astrictus, tam divinæ quam humanæ leges demonstrant. Et præcipue sanctorum Patrum statutis id manifestius declaratur. Hæc siquidem nos, quorum interest errata corrigere, et ea quæ incorrecta perniciosum posteris exemplum relinquerent, sollicita consideratone pensantes, attendentes etiam, quod ex delicto personæ non debet Ecclesia jacturam aliquam vel incommodum sustinere, sententiam ab episcopis et baronibus Angliæ, quoniam ad primam regis citationem tui copiam non fecisti, adversum te præsumptuose prolata, in qua tibi jam dicti episcopi et barones omnia mobilia tua tam contra juris formam, quam contra ecclesiasticam consuetudinem abjudicarunt, præsertim cum nulla mobilia præterquam de bonis ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitus esse censemus, et eam apostolica auctoritate cassamus, statuentes ut nullas in posterum vires obtineat, aut tibi vel successoribus tuis, seu ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ, aliquod in posterum valeat præjudicium vel læsionem afferre.

CCCLIII.

*Ad abbatem monasterii ***. — Pro querela quæ vertitur inter E. et A. sacerdotem.*

(Ap. Clarummontem, Jun. 9.)

[MARTEN., *Ampl. Coll.*, II, 715.]

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, ve-

A nerabili fratri (52) HENRICO, Remensium archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex litteris tuis, fili abbas, quas nobis præsentium lator detulit, nuper accepimus, quod cum inter E. et A. sacerdotem super quadam domo, quam idem sacerdos pignori obligatam tenebat, in tua præsentia controversia tractaretur, prædictus sacerdos nullum gravamen prætendens, ad nostram audientiam appellavit. Unde cum memorati E. responsalis coram nobis in appellationis termino præsens existeret, supradictus sacerdos nec venit, nec ad nos aliquem pro se responsalem transmisit, quocirca nos de vestra prudentia plenius confidentes, licet præter solitum fuerit. Quoniam præscripta domus de feudo ecclesiæ tuæ, fili abbas, existere perhibetur, et præfatus sacerdos appellationem, sicut diximus, non est ullatenus prosecutus, eandem causam ad vestrum examen duximus terminandam, discretioni vestræ per apostolicæ scripta mandantes, quatenus cum exinde fueritis requisiti, utramque partem ante vestram præsentiam convocetis et rationibus hinc inde auditis et cognitis, eandem causam, cessante appellationis remedio, sine debito terminetis.

Data apud Clarummontem, v Idus Junii.

CCCLIV.

Bulla pro monasterio Mauziacensi quod sub tutela S. Sedis suscipitur.

(Ap. Clarummontem, Jun. 15.)

[*Gall. Christ. Nov.*, Instr., 111.]

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio PETRO, abbati monasterii Mauziacensis, cunctisque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, J. N.....

Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri sanctæ recordationis Adriani papæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quas-cunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Ecclesiam de Gatteria : ecclesiam de Sancto Hilario cum capella : ecclesiam de Giaco : ecclesiam de Marencalmis : ecclesiam de Bortis, ecclesiam de Oene cum parochia de Faravel : ecclesiam de Rubiaco Royac, cum appenditiis suis ; ecclesia videlicet de Castello et capella Pontis-Gibaldi : ec-

(52) Hic irrepsit error amanuensis oscitantia, nam hæc epistola dirigitur ad aliquem abbatem.

clesiam de Sancto Urso : ecclesiam de montibus A cum capella de Castro : ecclesiam Sancti Hippolyti . ecclesiam de Wulvico cum capella Sanctæ Mariæ : ecclesiam de Martiaco : ecclesiam de Monestrolo : ecclesiam de Ceresio : ecclesiam de Sana-cultura : ecclesiam de Cella : ecclesiam de Aluchiis : ecclesiam Sancti Andreæ de Pathas : ecclesiam Sancti Boniti de Calmis : ecclesiam de Rocca-forti cum capella de Castro : ecclesiam Sancti Boniti Montis-Pancherii cum capellis de Castro : ecclesiam de Bodonia : ecclesiam Sancti Germani cum capella de Castro : ecclesiam Sancti Remigii : ecclesiam de Sulec : ecclesiam de Crusec : ecclesiam de Laurigiis : ecclesiam de Cos : ecclesiam Sancti Desiderii : ecclesiam de Dreituraias cum ecclesia Sancti Prejecti et capella de Palicia : capellam de Botiaco : ecclesiam Sancti Ambrosii : ecclesiam Montis-petrosi : ecclesiam Sancti Dionysii : ecclesiam de Sancto Leontio prope monasterium vestrum : ecclesiam Sancti Laurentii : ecclesiam Sancti Pauli : ecclesiam Sancti Calmutii , et ecclesiam Sancti Martini cum pertinentiis earum, Primiliacum, Tauriniacum, Mabiliacum, Salziniani, Plunberiam, Amanziacum et Mirabellum cum valle adjacenti. Terras de feudiis domini de Cresto et domini de Rochafort in Lubartes ; quidquid habetis in feudiis domini de Camaleria, et domini de Ponte. Terras de feudiis domini de Caslucio et domini de Turno-lio, domini de Tuirriaco, domini de Monte-Gascornis, domini de Enaziaco, et domini de Cabaziaco. C Terras quas habetis in feudiis domini de Monte-Pancerio, et domini de Scola, et domini de castello Sancti Germani. Statuimus etiam ut nulli fas sit nevas et indebitas consuetudines vel exactiones eidem monasterio vel ecclesiis ejus imponere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesiæ. Obeunte vero te ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars sanioris consilii, secundum Deum et beati Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu ab abbatiae dignitate destituere, sive quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diocæsani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve, etc.

Ego Alexander, Catholicæ Eccl. episc.

Ego Hubaldus, Ostiensis episcopus.

A Ego Bernardus, Portuensis et Sanctæ Rufinæ episc.

Ego Walterius, Albanensis episc.

Ego Beraldus, presbyter card. Stit. ancæ Crucis in Jerusalem.

Ego Joannes, presbyter card. tit. Sanctæ Anastasiæ.

Ego Guillelmus, presbyter card. tit. Sancti Petri ad Vincula.

Ego Jacintus, diac. card. Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Otto, diac. card. Sancti Nicolai in Carcere-Tulliano.

Ego Boso, diac. card. Sanctorum Cosmæ et Damiani.

B Ego Cinthius, diac. card. Sancti Adriani.

Ego Petrus, diac. card. Sancti Eustachii juxta templum Agrippæ.

Ego Manfredus, diaconus card. Sancti Georgii ad Velum Aureum.

Datum apud Clarummontem per manum Hermanni, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiac. et notarii, xvii Kal. Jul., indictione xiii, Incarnationis Dominicæ anno 1165, pontificatus vero domini Alexandri papæ III anno sexto.

CCCLV.

Bulla qua S. Illidii monasterium ejusque possessiones omnes sub tutela Romanæ Ecclesiæ suscipiuntur.

(Ap. Clarummontem, Jun. 15.)

[*Ibid.*, 102.]

ALEXANDER, etc., ARNALDO, abbati monasterii B. Illidii, ejusque fratribus.....

... Quoties illud a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et potentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium..... sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut monasticus ordo, qui secundum Deum, et B. Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus D inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentem juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, propitiante Domino, poteris adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Ecclesiam de Turiaco cum suis pertinentiis : quidquid habetis in villa de Grisolo : ecclesiam de Vicherio, cum capellis ejusdem castelli, et cæteris suis pertinentiis ; ecclesiam de Chasannolas : ecclesiam de Belvezer ; ecclesiam S. Petri de Chalmez : ecclesiam S. Felicis : ecclesiam S. Illidii de Valen-